

dore, atque imbribus conservantur. Ex levioribus centum, ex gravioribus triremibus duodecim Senatus consulto semper in promptu sunt; ut, si belli suspicio adsit, cito educi queant. Velorum, rudentum, antemnarum, malorum, biremium, scapharum magnus numerus. Ad hæc cujusvis generis tormentorum, sclopporum, hastarum, clipeorum, galearum, loricarum ingens copia. Artifices innumeri ad ea omnia conficienda ære publico aluntur; fabri lignarii, ærarii, navales, tormentarii, quibus fervens juvenus exercendis operibus assueta obtemperat: pueri a teneris annis eas artes edocti, temporis, interitusque injurias farciunt, disciplinæque beneficio excellens operum effectrix virtus æterna servatur. Locum præaltis mœnibus septum, *Arsenatus* domum vulgo majores nostri appellavere, quod veluti in privatis ædibus cuncta admirabili ordine administrantur. Tres præfecti majoribus comitiis creantur, quibus ea cura data est; totidem a Senatu summæ auctoritatis Senatores adjecti, qui singulis de rebus una cum præfectis decernant. Longum nimis, atque operosum esset ea scriptis mandare, quæ singula oculis lustrare pene impossibile sit.

In hoc igitur amplissimo navali noctu sulphureus pulvis, igne celerrime concepto, incensus, repente sese diffundens, horribili adeo impetu ac fragore erupit, ut murorum ipsius navalis partem, turreisque nonnullas firmissime compactas prostraverit; proximæ domus vehementissimo labefactæ motu corruerint; longinquæ in extremis urbis regionibus sitæ tremore horribili concussæ sint. Sacrosanctæ Trinitatis ædes, divorum Francisci, ac Justinæ martyris pene totæ dirutæ: divæ autem Mariæ cælesti pernobilis dicata basilica, una cum Virginum cœnobio diffiliit; vectes ferrei quibus fores claudebantur, licet immanes, diffracti; a fundamentis amplissima tecta eversa, ut vix e murorum ruinis, propinquorum ope, sacratæ Deo mulieres sese incolumes eripuerint, nonnullis sub ingenti prolabantium ponderum onere pressis, atque enectis. Univerſa eo motu contremere, ac fatiscere urbs visa est. Fuerunt qui infueto intempestæ noctis fulgore attoniti, supremum rerum omnium exitum, universorumque finem adesse arbitrarentur. Inde ingens trepidatio; incerta, quo plerique tenderent, fuga; muliebris ejulatus; multorumque ex suis laribus sese me-